

46.P.P.

A D

26277

MINISTROS

CALVINIA

NOS VILNÆ

*Sub tempus Pentecostes Anno
Domini 1639.*

congregatos.

S Vaserint licet plurimi vestris Ma-
ioribus ea, quorum veritate iam
etiam posteros resipuisse oportebat,
PATRES CONSCRIPTI: mihi tamen ea præcipuè, quæ temporis
istius propria sunt, apud vos agere
certum est; ne aut dicendi materiam
alibi quæsiuisse extra vestrum confes-
sum, aut malus consultor negotio fi-
dei videar accessisse. Animaduerti
profectò plus à me in rem vestram
conferri posse, si non per partes vestra
sancita, quod cæteri laudabiliter e-
gerunt, oppugnarem: sed fontem om-
nium obstruerem errorum, qui ex

A

Con-

Conciliabilis vestris in vulgus emanarunt. Hæc ratione viribus meis, quas longo per diuersâ cursu non raptaui, consultum esse volui; & vos, quidquid corrigendis vniuersim erratis par esse potest, in cumulo habebitis. Admonuit me officij istius anniuersarius hic redeuntium dierû circulus, & propè nolenti accommodatum intrusit dictionis argumentum, suggestitque modum, quo vestras deliberationes ad sanitatis compendium reuocarem. Conuertite enim, obsecro, mecum oculos in hæc celeberrima festa, quæ SPIRITVS SANCTI missionem Apostolis factâ reducerunt in memoriam: vos quoque agnoscetis, non sine diuinâ providentiâ factum esse, vt Vilnam eo potissimum tempore commearatis, quod saluberrimum consiliis vestris emendandis auxilium præsentiamque pollicetur. Vestris ille profectò illabatur mentibus, & linguas instinctu ardoreque vniformi in consensum componet, si PRIVATVM SPIRITVM à vestrarum insolentiâ consultationum amoueritis. Hic est

ille

ille clandestinus susurro, familiaris Hæreticorum Genius, malorum peccatorum incubus Deaster, qui suas visiones habet pro oraculis, sanas prudentiæ cõuellit rationes, insanas cerebri molitiones inter fidei refert articulos, quidlibet sentiendi intemperantiâ permittit, cæteraque omnia efficit, quæ religionem in primum statum assurgere non sinunt dignitatis. Hic est prauitatis omnis magister, inuentor sectarum, dux seditionum, puræ Tyrânus vetustatis, scripturarû tortor: quem quicumque à colloquijs publicis expulerunt, alteri illi Cœlesti aperuerunt aditum, vt inter prouidos fidei consiliarios consideret, & priuatam arbitrandi comprimeret licentiam. Hic est denique, cuius pertinaciâ effectum est, ne vestris rationibus Diuinus publicusque Ecclesiæ Spiritus interesset vnquam, ab eo vsque tempore, quo in amplissimû Poloniæ Regnum Lituaniæque Ducatum Conuenticula induxistis. Vos ipsi Synodos omnes præteritas, (quarum ego in hac oratione meâ præcipuam habebo rationem) inspicite; & nulla

A 2

diui-

Circa
annum
1566.

95452

Spiritu
priuati
elogia.

diuinitatis vestigia in SPIRITV ve-
stro PRIVATO notabitis. Nam,
cùm diuino Spiritui proprium ac sin-
gulare sit, nihil cōtra naturæ gratiæq;
auctorem DEVM, nihil contra sa-
lutis humanæ remedia, nihil contra
communem Ecclesiæ concordiam,
adeoq; nihil contra se dictare ac con-
cludere: manifestum est, alterius om-
ninò esse originis eum, qui hacten-
us inter vos fucato vultu oberrauit.

Et vt incipiam ab eo, quod in hac
causâ primum ac maximum est, quo-
modò Spiritus Priuatus, Cælestis ac
diuinus appellandus est, qui noui E-
uangelij inuentores ad contumeliâ æ-
terni Numinis agit, & debiti honoris
euerسیونē? qui Deum insanix huma-
næ miscet, & omnia peccata non sua-
deri tantùm ab eo, quod maximum
est profligatæ Deitatis argumentum:
sed ipso auctore impulsoreq; fieri do-
cet? qui nullum virtutum exercitiũ
potestatemuè hominibus relinquit
æternæ felicitatis acquirendæ: for-
des autem atque inquinamenta tam
copiosa, vt ne pietas quidem sit
quidquam aliud, quàm foedissima

macu-

mactila, condemnationisq; priui-
legium? Ad hoc ille intima vestra
obsidet, vt perfidiæ monstra inter
inania honestatis nomina generet,
& occultet: venerationem propa-
get, vt tollat; condemnet scelera, vt
commendet. Adeo nihil interest,
quid ille in Synodis loquatur, aut ho-
stis humani generis in aurem tacitè
infususurret. quàm enim in nulla re in-
ter se sint dissimiles; vtriusque effata
demonstrant. persuadendum est in
tanta doctrinarum conspiratione, a-
lium esse, qui paria docet. eo solo in-
ter se dissident, quòd eiusdem appel-
lationis vsum, non amicitiam, inui-
cem fugiant; & originis, quam di-
uersam non habent opinionem dissi-
mulent mentianturque æmulatione.

Contumelias loqui putarer, nisi
hæc ex vestris libris haberem. Videte
enim Vilenensis Synodi Anno 1588.
celebratæ paginas: occurret edictũ
illud detestabile, quo nullis precibus
SS. TRINITATEM inuocandã
esse, sed totius mysterij arcanum in
solis Patris, Filij, & Spiritus Sancti
nominibus retinendum decernitur.

*Spiritus
Priua-
tus Deo
contra-
ritus.*

*Caluin.
l. 1. Instit.
c. 17. &
18.*

*l. 3. In-
stit. c. 15.*

Quæ vnquam maior excogitari po-
tuit blasphemia? quod ex Erebo pro-
ferri perniciosius edictum? Ergo vna
diuina natura in tribus subsistens per-
sonis adorari nunquam potest? voca-
bulo, quod vnitatem æqualitatem-
que exprimat, compelliari nunquam?
Nocet ergo fidei, si in vna voce sint,
qui vnum sunt? aut simul inuocentur,
qui nunquam sunt seorsim? Inuenit
nempè Spiritus priuatus, secreta illa
lingua, quo solueret Deum, & terris
iniuriam cœlorum approbaret: ma-
gno documento, quàm perpetua sit
ab eo timenda dissensio, qui diuina-
rum concordiam personarum in ver-
bis non sustinet. Fecit proinde aptis-
simum suis clientibus nomen, vt *Dif-*
sidentes appellentur, qui ne in cœlis
quidem nouerunt quidquam, quod
sine dissidio pronuncient. Nimirum
hæc est illius facundia, Grammatica
contra fidem adornare, veritati ex
Prisciano legem dicere; &, quæ pal-
maris est eruditionis vesania, circa
Deum antiquitate verborum argu-
tari: Infamisne dicam Orator, qui
purius de Deo loquitur, vt sentiat im-
purius?

purius? an mendax Lexiconum Pa-
tronus, cui tolenne est Latinitatis de-
fensione maiestati diuinæ illudere?
certè insignis præstigiator: quando-
quidem per reprehensâ nouati ser-
monis vitia, supremam oppugnat ve-
ritatem.

Quid alteram illam iniuriam me-
morem, quâ in quâdam Synodo Po-
lonâ Stanislaus Sarnicius solam Chri-
sti naturam diuinam esse Pontificem
ac Sacerdotem asseruit, & hæc con-
fessione adedò multos in suam traxit
sententiam, vt mittendi essent Gene-
uam legati, qui Caluini domicilio ad
oracula vterentur, & ex ipso impieta-
tis natæ nido sacrilegiū pessimè cor-
rigerent. Quibus tamen redeuntibus
suum Spiritum priuatum pleriq; op-
posuerunt, mansitq; inter plures opi-
nio, quæ suscepti officio Sacerdotij
Filium Dei infra DEVM poneret. O
execrandū facinus! ô contumeliam
immanem! Parùm erat opera Serua-
toris in Vestrorum tegumentum sce-
lerum consuisse, vt sub purpureis cen-
tonibus falleret oculos diuinos hu-
mana foeditas; & laruata permanen-

*Spiritu
Priuatu
Christo
D. in se-
sus.*

*Stancar
l. de Tr
nit. &
Media
tore.*

tium criminum copia, alieno
ac veste mendax furtim coelos occu-
paret: parum sanguini diuino vim
abluendi sustulisse, & solam conces-
sisse coloradi, aut pretiosè incrustan-
di scelera potestatem: parum Corpus
Christi à saluberrima pascendi ratio-
ne sub solas expulisse figuras, & in à-
nimarum cibum metaphoras deco-
xisse. hoc etiam lege fanciendū erat,
vt Filius Dei secundum naturā suam
diuinam Patris æterni esset Sacerdos:
sibi ipsi sacrificaret: se ipso minor es-
set: diuinitas aliquid haberet, quo
non esset diuinitas. Neque vos qui ex
adytis Geneuensibus naturam Chri-
sti vtramq; in Mediatoris officio de-
tinetis, quidquam errori huic detra-
xistis. Manet integrā cum hoc addi-
tamento iniuria: operantis Seruato-
ris à Deo distantia retinetur: in natu-
ræ vtriusq; diuersitate sacerdotij so-
cietas exprimitur. æquata est natura
humana diuinæ, quòd simul; diuina
humana, quòd etiam satisfecerit. Vt
aliquid vobis supra cæteros dicam,
solam inuenistis verborum modestiā,
cui eandem blasphemiam argutè in-
uoluc-

Caluin.
ep. 2. ad
Polonos.

uolucris. nos, qui euoluimus, astu-
tiam miramur ingeniorum, quæ se
sub fallacem pietatis vmbra cautè,
sed æquè nequiter receperunt. Et
Stancarum quoque diuersa hæc senti-
endi ratio adeò grauiter commo-
uit, vt cæteros quoque premonendos
esse putaret, ne scriptis Caluini euoluen-
dis operam impenderent. *l. de Tri-
nit. &
Mediat.*
Tex miserum esse ac infelicem, quòd ne ipse quidem satis
nosset, quid scriberet, aut affirmaret.
Quamuis se in quingentos multiplicaret
Caluinos, si suam de Mediatore doctrinā
mortario tundendam submitteret, ne vni-
cam quidem veræ Theologiæ vnciam ex
vniuersis argumentis exprimi posse. Imi-
tatus certè videtur opifices Calvinus,
quorum labor atq; in opere progres-
sus sæpè in diuersissima consilia exit.
quippe contra quàm aut ipse voluit,
aut sperare potuit quisquam, diuinā
Assertoris nostri naturam crudeliter
tractauit, vt qui ab Institutionibus il-
lius legendis transiuerit ad Epistolam
alteram, quam ad Polonos scripsit,
cogatur exclamare, an non

l. 2. In-
stit. 6.
12.

amphora cepit

Institui? currere rotā cur vrcens exit?

A 5

qui

quî factum est, vt ex præclaris quibusdam de *Mediatore* præceptis repente *calix passionis* formatus sit, quē diuinitas quoque hauriret? Nempe id habent omnia nouæ fidei initia, vt dum ad solidioris pertinaciæ fundamenta tendunt, per multas prius opinionum formas agitentur: velut explorante ingenio, vbi tutius sedere possint fabulæ & nouæ leges. Quem admodum primam ratem, quam audacia humana reperit, dicuntur timidi nauæ remis secundum littora promouisse, quousque parem sustinendo æquori, & se periculis contemnendis idoneos esse deprehenderent: sic & Calvinus in suæ Sectæ primordijs dogmata seligebat fidei Catholicæ Romanæ viciniora: sensim postea se audacius in antiquarū hæreseon fluctus proijciebat; seruatâ tamen semper potestate ac licentiâ diuertendi in alios anfractus, qui plus spei inter difficultatum scopulos promitterent.

Respons.
Lasci
impressa
Basilæe
An. 1560.
Quare satis accommodatè Joachimus Vestfalus Ioanni Lasco appellationem *Vrsi Sarmatici* attribuit, quod & ille rudem ac informem sui Magistri

stri doctrinam lambere non destiterit, donec in statuum membris quibusdam distinctam assurgeret, quæ non tam teneri, vt pote semper de Spiritu priuato lubrica, quàm apprehendi posset.

Multa mihi eundem in finem afferenda essent, nisi contra propositi mei rationem esset, singulos vestræ credulitatis articulos persequi. Illud omninò dicendum esse animaduerto, SPIRITV quoque Sancto contumeliâ fieri à Priuato, qui nescio quem saporem sacrarum sibi literarū vendicat, atque odorem; & iam partim tanquàm cocus inter fercula gustu, partim velut canis venaticus odoratu inter arbuta; ita ille inter Spiritus S. dictata grassatur discretionem, exploratque palato ac naribus, quis liber cœlestis atramentum sapiat? quis Propheticū redoleat calamum? quæ pagina ex officina Hebræi Canonis prodierit? quæ verba Græcarum condimentum Originum per tot sæcula non euaporarint? quæ historiæ cum prophanis scriptoribus, tanquam verissimis cōseruatæ antiquitatis vestigijs, conueniant?

Spiritus
Priuatus
Spiritus
Sancto
contra-
rius.

Caluin.
lib. 1.
Instit.
6. 7.

niant? Hoc inuestigationis genere fit, vt inter apocryphas scripturas veræ abijciantur: adulterinæ inter legitimas recipiatur ad arbitrium: & quod intolerabilius est, mendacijs priuata æstimatio per summam impudentiã illustretur. Durat adhuc pertinax inter priuatos Spiritus contentio, quis discernendo præualuerit? Quidam enim patronos se reiectis exhibent, hostes alij admissis. plerique quas in Apuleiani Asini fimeto nares exercuerunt, ad diuinas leges transferunt, & retentis ex prophana lectione factoribus aromata cœlestia condemnant. Quid quodd eundem Spiritum Priuatũ esse volunt interpretem veritatum, quas Spiritus Sanctus in literis deposuit: sed tantã cum dexteritate munus hoc obire, vt totum sensum suo debeat sensui. Antiquissimas non consulit leges: priorum decreta ætatum non æstimat: à communi non pendet consensu: ad nullius testimonia respicit. Senatus Doctorum, Patrum auctoritas, Concilia, Ecclesia, vnus sibi omnia Spiritus Priuatus. Nihil simile alibi legit, & intelligit: ar-

cana

cana singulari manifestatione non accipit, & habet in numerato: scit, & non didicit. Ne exprobres in solo vili opificio positam operam & oleum: etiam picem nemo perdit in officinis, quin succedat Spiritui Priuato eruditio. Videatur sanè mediocris in arte suã sartor: in sacris literis rem acutangit. sit vilissimus futor: Mineruæ caput calceare potest. sit attritis vnguibus cerdo: etiam cœlum, sicut pellem, interpretatione extendit. Institutio, Auscultatio, Cathedra ijs est illa ipsa, quam exponunt, Sacra Scriptura. Hæc malè feriatorum hominum commentandi ratio, ad vos ex Synodo Leuartouienſi peruenit. Ibi Ioannes Kwiatkouius Minister de Reſcius in Asbe-
Celebrata est Anno 1581. Reſcius in Asbe-ism. c. 8.
modo literas diuinas interpretandi primus rogatus, contra naturam suã esse eã de re disceptare asseruit. Dixit planè, quod Spiritus Priuatus stiuæ diu tractatæ memor suggererat; sed risu est explosus, quod recenti fide nihil adhuc cõtra naturam profecisset. cæteri non longè meliora attulerunt. Transitum tamen ab omnibus in sententiam cuiusdam, qui militiæ Nisouienſis

uiensis auspicia in rapinam transtulerat animarum, agebatque audacem in Euangelij noui prædicatione Kozakum. Is eam admittendam retinendamque deinceps esse dixit exponendirationem, quæ in popinis Nisouiensibus laudabiliter obseruatur. Ibi enim, si quis alterius famam verbis ambiguis obscurisque violasset, nemini licere dubiam orationem interpretatione inuolare; sed penes detractorem manere exponendæ mentis suæ potestatem: ita sacra Scripturam, quam Deus condidit, nulli præter ipsum, tanquam impressum in sacro textu interpretem, explicare fas esse. Ita fit, vt difficultas iisdem & totidem verbis, quibus proponitur, pateat: obscuritas ne velo quidem amoto sit clara: Deus, qui semel dixit, etiam tacens eodem sermone se explicet semper, quo occultauit. Hoc autem quid aliud est, quam libertatē errorum cōminisci, & in sua opinione ponere, quid decerni debeat? Eripiunt profectò hi Ecclesiæ publicum communemque Spiritus Sancti instinctum, dum raptas à poculis leges, suis

in-

instillant auditoribus, & Sectæ de priuato faciunt Spiritu auctoritatem. Inter speciosa verba totus astus tegitur. Sibi deferunt, quod attribuunt Deo. Non tollunt insolentem mentendi luxum, sed rudes plebis animos in insidijs leniunt. Tam nocent securis, quàm videri nocentes nolūt.

Det vtinam vobis Deus immortalis, Patres Conscripti, vt hanc læsæ diuinitatis intueamini aliquando iniuriam, & Spiritum vestrū Priuatum in crudelem animarum cædem, ac lanienam non armetis. Nam vt libertas illius Deo infesta, mitis sit in homines, fieri nequaquam potest. Et quidem si de Catholicis ea intelligerem, rem vtique non afferrem insolitam, cum constet, nouum Euangeliū nunquam sine nostri sanguinis siti fuisse: nunc autem sæuitia hæc in vestros quoque ex lege exercetur. Retinemus vocem ingenuam, quæ ex Synodo Vilnensi in reliquam transmissa est Lituaniam. *Infantes, inquit, ex illegitimo toronati, non baptizentur.* O horribile Spiritus Priuati dictum! O venientē de pectore nocentissimo im-

Spiritus Priuatus noxius est salutis hominum.

Celebrata est Ann. 1589.

ma-

Adria- nus iun. Iurge- nit. in Anat. Becan. manitatem ! O perniciosam naturæ humane legem ! Prælusit, fateor, crudelitati huic Calvinus, cum afferuit, promissionem Dei ad filios à parentibus iure hæreditario descendere, eo planè modo, quo patrimonium deuolui solet : sed vestri Maiores arcum hoc protulerunt. *Non baptizentur*, inquit. Quam ob causam? *quia æternæ damnationi sunt obnoxij.* audio, quo merito? parentum, an suo? suo? tantum in illis est cõtationis primæuæ, quantum in legitimis, parentum? quare perpetuò nocet aliena Infantibus improbitas, cum parentibus propria ne impedimento quidem sit ad salutem? Sæui profectò Legislatores, qui adulteria in auctoribus palpant; in innocenti ætate puniunt: prouisis ad detergendas maculas remedijs desperationem salutis substituunt: iam ante librum vitæ inspectum discernunt, quem iure omni ad perennem felicitatem spoliare debeant. Quasi in libertate prolis positum fuisset, inhonestam originem eligere, nasci dicitur sub damnationis tententiam; nec prius viuere, quàm æternum

mori

mori permittitur: Parentibus autem nulla pœna decernitur, vt pote, qui semper fidei patrociniū in vagis libidinibus retinuerint. Hi igitur ad *cœnam magnam* inuitantur, fortassis vt se à stupro reficiant: filijs ne quidem ad aquam patet aditus; tanquam sufficiat ad Matris solatium agnatis sordibus ornatos intueri. Illis canitur ob furtiuæ lasciuæ successum gratulatio: hi ingressum vitæ funebri plantu inchoant; & sub perpetuæ mortis ictu nati deinceps ad desperationem aluntur. Audeat quocirca quisquam vestrum arguere Martinum Crouicium, cum in colloquio, quod ei erat cum Joanne Demetrio Solico- uio viro eruditissimo, *baptismum* appellauit *suillum balneum*: si ne vos quidem ei quidquam virium ad puritatem conceditis. Reprehendite, si potestis securè, Anabaptistas Lublincenses, qui suis, dum immergerentur, præscribebant, ne magistratum vllum admitterent; aut deponerent, si prius habuissent: quando in aquis vestris soboles ex adulterio nata priuilegium cœlestis felicitatis inuenire

Rescius in Athe- ism.

Budneus fol 8.

B

95752

non

*Rescius
in athe-
ism.*

non potest. Damna te, illum, quem
ex Lituania Spiritus priuatus rapuit
in Thraciam, vt *circumcisionis* leges
ceremoniaſque omnes edisceret. Ma-
iores vestri inconſultæ iſtius peregrina-
tionis excitarunt ſtadium, dum
immani edicto luſtralem fontem à
ſalubri auxilio hominum remoue-
rent. Non ſum ignarus, legem
hanc poſtea à vobis proſcriptam ef-
ſe, tanquam inſanum malè digeſti
cerebri laborem: illud dico cõmuni
omniũ iudicio in Cœtu vtro arti-
culum hunc vigiſſe. Et nunc quo-
que fortasſe retineretur adhuc, niſi
ſuæ proli fieri contumeliam illi ipſi
Ministri vestri conclamafſent, qui
à votis ad licitos in vstra Secta in-
cœſtus confugerunt. Quippe æquo
intueri oculo non poterant æter-
nam in filijs ignominiam, quorum
prædicationi hæreditas Verbi Diuini
fuit committenda.

*Spiritus
Priuatus
ſibi con-
trarius.*

Opportunè verò ad hoc, quod iam
antea pridem faciendum erat, ora-
tionis caput perueni. Huius enim
legis vestræ reuocatione comuni-
tus ſum, Spiritum Priuatũ nunquam
vnum

vnum in omnibus, multiplicem
ſemper in ſingulis, immò in iſdem
fuiſſe. Prout factus ſuadet, furore
ille, non ratione: impetu, non de-
lectu variat edicta: & contumacem
ſentiendi quiduis libertatem pro-
teſſerã religionis habet. In Syna-
gogæ igitur vniũs ædificationem
non pacatis opinionibus, ſed ſolo
Catholicorum odio coiuiſtis. Con-
tra cæterorum conſcientiam impres-
ſa eſt ab vno Confefſio; &, quæ in
ſententijs contentioſorum diuerſa
erat, in chartis ſolis vna eſſe cœpit.
Ita factum, vt rudis populus, qui
antea ne ſub vno quidem nomine
vnus erat, ſcriptis primũ coaleſce-
ret, non perſuaſione: &, cum non
haberet vllum, quem in clamoris
concionibus ſequeretur conſtanter,
mutã ad cõcordiam profecit lectio-
ne. Ne nunc quidem quiſquam ve-
ſtrũ, qui aliquid ſibi ſapere videretur,
ſentit cum cæteris; loqui tamen di-
uerſa palãm non audet, in pœnam
aut potiũs panem intentus, quem ſi
ex declamationũ non haberet men-
dacio, alendæ ſuæ fœcunditati non

sufficeret. Nisi vagabundas istius Spiritus inuentiones Dominorum coercisset auctoritas, perinde vt antea per vrbes insanientium tumultus disputationū grassaretur: perinde caudis solis in perniciem veræ Ecclesiæ colligatis, aliam vulpes quælibet doctrinæ partem oculis designaret, capite sequeretur. Illis igitur debetis consensionem omnem. Illi hanc opinionum, non tam firmitatem, quàm pertinaciam supplicijs retinuerunt. Iuuit & numerosa vestri Ministerij proles, quæ in Cathedrarum successionem nata, noui Euangelij tuetur patrimonium. quanquam ne ea quidem sensum suum, sed parentes sequitur. Faceret & illa partes, nisi sacri sanguinis gloriam hæreditario sibi defendendam onere putaret. Neque enim idem Spiritus Priuatus à parentibus transit in filios, vtpote sæpè in matre ac patre diuersus; aut si transmittitur participaturque, biceps variusque magis in contraria ferretur. Frequenter etiam ex sacrilego conubio non nisi spurius ac degener insania suaderet, nisi ad sacrilegæ originis

ginis gratitudinem pertinere arbitraretur, eadem diuerso animo dixisse. Ego certè mihi eadem modo intueri videor, quæ Maiores vestri in Synodo Leuartouienfi cõtra Anabaptistas inuenerunt. Cum his omnino negotia fidei tractaturi erant: sed cum se numero impares viderent, aliquid ad multitudinē simulandam commenti sunt. Euocarunt ab aratro Premislienses Schismaticos Popos, & more suo pallia Philosophica humeris iniecerunt. Dabat se in publicum conspectum sæpius rude illud rusticorum Sacerdotum agmen, nouis ad non suos mores vestibus excultum; & erant prolixæ barbæ pro doctrinâ. quas etiam idcirco liberius palam ventilabant, non sine multorum risu, qui suspensâ ex mento tentoria mirabantur; sperabantque, prout victoria succederet, aut suffecturâ in funes materiam, quibus victi Anabaptistæ in triumpho ducerentur: aut vela ad celeriolem fugam Caluinistis expansa, si deprehensâ fallacia in pudorem ac desperationem abiret. Cautum tamen maximè, ne scenam

Celebrata est Anno 1581. Rescius in Euangel. Conuent.

hanc sermone detegerent. optimè propugnaturus Calvinismum, si nihil loquerentur. vice disputationis futuros Biesaganos Catechismos, si molestis quæstoribus aperirentur, & solo explicarentur nutu. Talem fidei histrioniam plurimi nunc inter Ministros exercent. quoties differendū est, suis libris consentiunt: sed in animo tantum cuique est de Caluini sensu, quantum Popis erat de Biesagæ opinionibus. Nomine solo communi feretinent, illoque externo apparatu, quem inter simulationis ludicra vultu mentiri, mente tegere solent. Non sunt vni infixi Sectæ, sed titulo: eâ planè ratione, quâ cæteri diuersi Nouatores solam vobiscum facere volebant fœderatam potentiaæ consensio- nem, vt à se inuicem diuisi, tantum contra Catholicos simul essent. Obseruarunt hanc Spiritus Priuati indefiniendis articulis varietatem viri inter vos nobilissimi; sectam tamen, quia nouam & vtilem, retinendam esse existimarunt. An non Palatinus Posnaniensis in conuentu, qui tum habebatur Posnaniæ, contentiosos hor-

Anno
1586.

hortatus est Ministros, vt vnū omnes idemque sentirent, nec aliud stantes, aliud sedentes decernerent? Viderat enim instabilem fidem cum corporum situ mutari, neque in vilâ statione gradum vnquam habere vnum. Quia enim arrogantia inflati in summis gradiebantur vnguibus; fieri non poterat, vt diu in eodem statu periculosum suspenderent incessum. Cerebrum, quod, vt ait Athanasius, ab Hæreticis gestatur in calcaneo depressum, perpetuum excitat pruritus; vt ea demum censeatur doctrina optima, quæ maximè ambulato- ria, inquieta, aut, vt cum Tertulliano loquar, *indeterminata*. Oculi in pedibus stultorum siti, vident semper aliam atque aliam viam, per quam corpus effræne circumferant.

Sed quorsum tam multa in eadem re congero? Nihil adhuc dixisse videor, quamdiu non ostendi Spiritum Priuatum, ipsi quoque infensum esse Calvinismo. Et quoniam vestris in Patria nostra natis exemplis loqui constitui, aliena spontè prætermit- tam. Legitur in Synodo Sendomi-

*Spiritus
Priuatus
ipsi Cal-
uinismo
contra-
rius.*

riensi, quæ in annum 1570. incidit, Canon, in Cracouiensi postea Anno 1573. approbatus, vt Minister quilibet eam formam ritusque, quoties administrandi sacramenta occasio se offerret, sequeretur, quos confessio Cœtus, ad quem fortè diuerteret, præscribit. Erant autem eà in Synodo Lutherani, Trideistæ, Anabaptistæ, Arriani, Nearriani, Samosatheni, noui Iudæi, Adamitæ, Sabbatarij, Calixtini; quorum omnium, vt constaret inuicem concordia, Calvinistæ ritibus seruiendum esse duxerunt. Vidit scilicet perspicacissimus Spiritus Priuatus Hæreses omnes cum suo Euangelio florere posse: nihil damnari in vllò debere, quod iuari cæremonijs imitationeque posset. Inde principium accepit in Polonia illud Politicorum genus, quod cum omnibus credit omnia: fidem cum tempore mutat: loquitur ad nutum familiaritatis, non ad præscriptum conscientia. Tunc complexi sunt Calvinistæ, quæ in diuersis Hæresibus singularia fuerunt. tunc edicto illo suo Calvinianum in complexum vniuersæ in-

fide-

fidelitatis euerterunt. Vidisses ex hac Synodo Prædicantem Caluinianum credere sua, facere aliena: mendacio conficere mysteria, & in tanta rituum varietate Roscium noui Euangelij agere. Hoc erat ex D. Pauli sententiâ, quemadmodum iactabant, *Omnibus omnia fieri*; immò, quod hæctenus nunquam auditum est, omnibus omnia facere: id quod quisque crederet, vellet, simularet, suo ritu exhibere: negare, quod fatebantur; quod negabant, confiteri: denique Mercurium Plauti, aut Iouem imitari, quorum ille Sositam agere in adulterij excubiis, hic in scelere Amphitruonem potuit. Habere ex hac occasione iustissimum in re adeò graui aculeum, qui contra istius Spiritus Priuati malevolentiam stringi posset, si modestia mea permitteret. Dicerem enim, quam sibi ex omnibus Sectis ignominiam conquistuit. Sed videte, PATRES CONSCRIPTI, quàm famæ vestræ ex meo ingenio parcam. Illorum potius eâ de re proferam iudicia, quos tam turpi obsequio iuistis, & Fratres appellatis.

1. contra tis. Smidelini audite testimonium.

Grinau. Spiritus, inquit, Calvinisticus mendax est, homicida ater, pessimus, fugitiuus, lubricus, Diabolicus, falsus, furiosus, verbosus, crassus, cæcus. Certare ego non ausim huic eloquentiæ. vt autem graues paucis verbis sensus inclusos exponam, tantum mihi viriũ non polliceor; qui ne vim quidem verborum satis videor percepisse. Quomodò enim mendax, qui in singulis Cœtibus dicit, quod in singulis credit? quomodò ater homicida, qui diuersissimas Sectas candore suæ prædicationis ad vitam suscitât? Quisquamne magis contraria de Calvinistico Spiritu protulit? Illene pessimus, qui omnibus fauet? an lubricus, aut fugitiuus, qui vbique est? crassus, qui subtilitate articulos omnium ingeniorum penetrat? cæcus, qui Synagogas videt vniuersas? Hæc ego vtcunque tueri possum: at non possum non Diabolicum dicere, nam circuit quærens, quem deuoret. debeo appellare falsum, quia nullibi sincerè viuít. debeo furiosum ac verbosum, quia seper varia insanè iactat, & non vnum

apud

apud omnes Sectarios agit Prædicantem. Quod si lucem ex his ad priorum quoque notitiam sumere licet, dicam quoque securè mendacem. imitatur enim plumeam auis Tertulianiæ vestem, quæ multicolor, discolor, *1. de pati-*
versicolor, nunquam ipsa, semper alia, et. 6. 3.
si semper ipsa, quando alia, toties mutanda, quoties mouenda. dicam atrum homicidam, qui contra auditores tot habet venena, quot ingenia: tot pernicios, quot species: & tantum de tenebris, quantum de simulatione. dicam pessimum, qui nulli est æquus, quin sit iniquus simul. denique dicam, fugitiuum & lubricum, quia omnes Hæretes pro asylo habet, & exilio. At æquior fortasse fuit Lutherus, ille cuius auctoritati plurimum Calvinus tribuere solebat? Et hic certè non dissimilia pronunciauit. Calvinistarum, inquit, est Diabolicus Spiritus, mendax spiritus, rebellionis & dissensionis spiritus, fugitiuus, inconstans & vertiginosus. Quot quantisque vocibus vius est, vt discessionem à primis placitis, atque adedò à se ipso explicaret! Et verò facundus eà in re esse poterat,

rat, quam longo usu in se cæterisque
sui imitatoribus deprehendit. Di-
dicit certè industriam suam, quam,
vt ipse dicere solebat, ad reforman-
dam Ecclesiam transtulerat, per fa-
stidia creberrimasque mutationes
iuisse; & in serio fidei negotio ida-
ctum, quod fit in latruncolorum lu-
su, vt velut calculus calculum, sic
priorem sententiam extruderet po-
sterior. Vidit quàm vasto agmine
plurimi ad nouorum inuentionem
dogmatum ferrentur; & non magis
sacras literas diuersis commentarijs,
quàm dissimili auditores persuasio-
ne cruciarent. Caluini tamen asse-
clis quiddam animaduertit accidere
simile ijs, qui longâ in gyrum cor-
poris agitatione mouentur. Quem-
admodum hi, quamprimùm à diu-
turno circuitu ad vertiginem perue-
nerint, neque ipsi se in eadem sta-
tione diu retinent, neque deinceps
quidquam stabili aspectu quietum
intuentur: ita Spiritus priuatus, qui
à prima origine Calvinistis aderat
semper versatilis, atque ipso gene-
rositatis excessu inconstans, capita
per

per subtilitates circumfert assiduò,
per supercaneaque rotat; vt mirum
nulli esse debeat, si iam fides nostra
videatur illis moueri: ipsi verò in-
tèrea, tanquam si plumeo pede ar-
ticulis suis insisterent, in vno vesti-
gio hæere non possint. Quoties se
erigunt in consensum, ruunt iterum
impotentiùs: neque Spiritus verti-
ginosus aliter attollere vllum potest,
nisi vt violentiùs proijciat.

Vestram igitur, Patres Conscri-
pti, operam atque industriam in eo
præcipuè collocandam esse putate,
vt mobilem hunc animorum moto-
rem, hostemque callidissimum à ve-
stro confesso exturbetis. Nulla vo-
bis, credite, fiet ad dissensiones tol-
lendas remediorum accessio, quam-
diu hunc præsidem, arbitrum, ac
consultorem esse patiemini, cuius
ego tot maleficia differui: tot vestri
Socij ex merito damna, atque por-
tenta conscripserunt. Si Senatus ille
pessimè agit, qui priuatarum sequi-
tur respectum rationum: si damnân-
tur Iudices, qui sibi, non causæ at-
tendunt: si consilia improbantur,
qui-

quibus nulla publici boni vtilitas
quæritur: vos rem omnium grauif-
simam, à qua vestra cæterorumque
salus pendet, priuato Spiritu discuti-
tietis? Quod in Repub. prudentif-
simi viri pestem esse legum, ingenio-
rum insaniam, ciuium virus esse di-
xerunt: vos iuris sacri tutelam, co-
lumnâ veritatis, populorum sani-
tatem in Ecclesia statuetis? Mihi
credite, ostentatio est superbix sen-
tire, quod omnis ætas damnauit, Pa-
tres Sanctissimi oppugnarunt, reie-
cerunt Concilia: quod nemo vn-
quam inter vos diu laudauit: nemo
longæuâ posterorum imitatione re-
tinuit: nemo bene contra aliorum
iudicia defendit. Nunquam sperate
vllam inter vos fore animorum sen-
tentiârumque concordiam, quam-
diu dissidentibus Spiritibus, non tam
coalescitis in cohortem, quam in-
turbam colligimini; facile rursus
dissipandi, cum à parte aduersa ve-
hementior turbo afflauerit. Diuinus
Spiritus sit necesse est, qui vos re-
gat. Publicus, qui in tutam salutis
viam reducat. Nisi huic vestrarum

cu-

curam opinionum concesseritis; fru-
stra de mutuâ animorum consensio-
ne, decretisque fidei stabiliendis co-
gitatio suscipitur. Neque enim vl-
lus erit, nisi planè emotæ mentis,
qui suum Spiritum priuatum, per-
inde quasi amentior esset, vobis in
vile mancipium captiuitatemque
tradere velit: quamdiu vos quoque
consilia vestra Diuino ac communi
totius Ecclesiæ Spiritui, qui er-
rare seduci que non possit,
dirigenda non per-
mittitis.

Dixi.

